



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Secvndvs. Vtrum donum sit proprium nomen Spiritussancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

q. unica, a. 2. duas alias notat differentias, quas hic refert Zum.

A sunt præcipue Torres, Zum. & Suar. in dicto 4. & D. Th. in primo.

Neque esse
cia. neque
persona di-
vina est do-
num alteri
personæ do-
natum.

Tertia particula est liberaliter quam solam exprimit diffinitio Arist. relata à D. Thom. in art. seq. ex 4. Top. cap. 4. cum dixit, donum esse dationem irredibilem, id est merè gratuitam ac liberalem, sine spereretributionis. Ex qua sequitur neque diuinam essentiam, neque personam aliquam diuinam esse donum propriè loquendo, quod alteri personæ diuinæ donetur. Nam quod vna persona communicat alteri, id naturaliter & necessariò communicat & non liberè. Quod etiam aduertit Magister diff. 18. Quo fit vt Hilarij dictum à S. Th. relatum in responsione ad 1. argum. fit acceptandum vt minus proprium, vt notant hinc expolitores communi-
ter.

Vltima particula est, vt ea libere valeat vti vel frui, quam explicat S. D. in textu ex differentia inter rationalem creaturam, & alias quo ad habere diuinam personam. Sed extendenda est hæc differentia ad quamlibet rem ab altero collatam; nulla siquidem res rationem habet doni, nisi in ordine ad rationalem creaturam, à qua sola verè & propriè potest haberi; quia scilicet sola rationalis creatura potest re sibi collata liberè vti vel frui, vt habetur in 1. 2. q. 15. & 16.

Ex hac tota diffinitione sic explicata sequitur primò tria claudi in ratione doni, scilicet re donabilem quæ denominatur donum: habitudinem ad id à quo datur, id est ad donatorem; & respectum ad eum cui datur, vt habetur in textu & explicat Cai. a. seq. Secundo sequitur diuinam essentiam & singulas personas ab æterno habere rationem doni: cum ab æterno habeant aptitudinem vt donentur. Tertiò sequitur non solum Spiritum S. sed etiam essentiam & Patrem & Filium, propriè dici donum: cum eis conueniat tota doni diffinitio. Quare Zum. non benè dixit, soli Spiritui S. propriè congruere rationem doni: & si verum sit speciali quadam ratione Spiritui S. conuenire nomen doni, vt apparet ex articulo sequenti. Quarto sequitur donum pluribus modis de Deo dici. Primò essentialiter siue absolute. Nam ratio doni prout dicit rem donabilem & prædictam duplicem habitudinem, scilicet ad donatorem, & ad eum cui donari potest, communis est tribus personis & essentia. Conuenit enim primò deitati communicari per gratiam & gloriam rationali siue intellectualem creaturæ: personis autem consequenter. Relatio verò ad donatorem, vt scilicet ipsius sit res donabilis, personis omnibus & essentia congruit, quamuis diuerso modo vt patet ex declaratione primæ particulae diffinitionis doni. Respectus autem ad eum cui donari potest, constat ex declaratione vltimæ particulae & ex littera huius articuli. Secundo dicitur de Deo donum quasi notionaliter, quatenus scilicet donum significat id, quod donantis est per originem, quæ ad notionem pertinet. Et sic de duabus tantum personis procedentibus dici potest scilicet Filio & Spiritu sancto, nam Pater nullus est per originem: Filius autem per generationem est Patris: & Spiritus sanctus per inspirationem passiuam est Patris & Filij. Denique dicitur donum in Deo personaliter de Spiritu sancto, quatenus amor est cui conuenit ratio primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur, vt ait S. D. in articulo sequenti.

Postremò aduerte singula prædicta latius hic ab interpretibus explicari, ex quibus legendi

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod donum non sit proprium nomen Spiritus sancti. Donum enim dicitur ex eo, quod datur. Sed sicut dicitur Isai. 9. Filius datus est nobis: ergo esse donum conuenit filio, sicut Spiritui sancto.

2 Præterea. Omne nomen proprium alicuius personæ, significat aliquam eius proprietatem: sed hoc nomen donum non significat proprietatem aliquam Spiritus sancti. Ergo donum non proprium nomen Spiritus sancti.

3 Præterea. Spiritus sanctus potest dici spiritus alicuius hominis: sed non potest dici donum alicuius hominis: sed solum donum Dei. Ergo donum non est proprium nomen Spiritus sancti.

Sed contra est, quod August. dicit in 4. de Trinit. li. 4. deo. Sicut natum esse est filio à patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse, est à patre, & filio procedere. Sed spiritus sanctus sortitur proprium nomen, in quantum procedit à patre, & filio. Ergo & donum est proprium nomen Spiritus sancti.

Respondeo. Dicendum, quod donum secundum, quod personaliter sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quod donum propriè est datio irredibilis, secundum Philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis. & sic importat gratuitam dationem. Ratio autem gratiæ donationis, est amor: ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo, quod damus ei, est amor quo volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus sanctus procedat, vt amor (sicut iam dictum est) procedit in ratione doni primi. Vnde dicit Aug. 15. de Trin. quod per donum, quod est Spiritus sanctus, multa à propria dona diuidentur membris Christi.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut filius, qui procedit per modum verbi, quod de ratione sua habet, quod sit similitudo sui principij, dicitur propriè imago, licet etiam Spiritus sanctus sit similis patri: ita etiam Spiritus sanctus, quia à patre procedit, vt amor, dicitur propriè donum, licet etiam filius detur. Hoc enim ipsam, quod filius datur, est ex patris amore, secundum illud 1. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Ad Secundum dicendum, quod in nomine doni importatur, quod sit dantis per originem. Et sic importatur proprietas originis Spiritus sancti, quæ est processio.

Ad Tertiū dicendum, quod donum antequam detur, est tantum dantis: sed postquam datur, est eius cui datur. Quia igitur donum non importat dationem in actu, non potest dici, quod sit donum hominis: sed donum Dei dantis. e

Cum autem iam datum est, tunc hominis est, vel Spiritus, vel datum.

Sen-

2001
64

Sensus quesiti.

CVM in articulo precedente determinatum sit donum esse nomen personale & conuenire non tantum Spiritui S. sed etiam Patri & Filio & essentia: non potest hic quæri, an sit propriū Spiritui S. absolute loquendo: id est an soli cōueniat spiritui S. Sensus ergo quesiti est. An donum secundum aliquam suam significationem sit nomen soli congruens Spiritui Sancto.

Forma Textus.

CONCL. est. Donum secundum quoddam personalem sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti. Probatur. Amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Sed Spiritus S. procedit ut amor; ergo procedit in ratione primi doni, & sic donum personaliter sumptum in diuinis est proprium nomen spiritus sancti. Minor patet ex primo articulo quæst. precedentis. Maior probatur. Primo ratione. Donum importat gratuitam donationem: sed ratio gratuita donationis est amor; ergo primum quod alicui damus siue donamus est amor, & sic amor habet rationem primi doni per quod &c. Maior huius argumenti probatur, quia donum secundum Aristotelem in 4. Top. cap. 4. est datio irreddibilis, id est, quæ non datur intentione retributionis; ergo &c. Minor autē, quoniam ideo gratis aliquid alicui damus, quia volumus ei bonum: ergo primum quod ei damus est amor, quo volumus ei bonum. Deinde probatur maior principalis argumenti auth. August. 15. de Trinit. dicentis. Per donum quod est Spiritus sanctus &c.

Expositio Textus.

Quomodo Spiritus sanctus procedat in ratione primi doni.

QUOD HIC ait S. D. Spiritum S. procedere in ratione primi doni, lucidius aperit in 1. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2. dicens, Spiritum S. esse per se primo donum, & ex ratione suæ processionalis habere in se ut detur, & ut sit ratio dandi; quod non ita intelligendum est, ut Spiritui S. ratione suæ proprietatis personalis conueniat esse per se primo donum; alijs autem scilicet personis, & essentia conueniat per Spiritum S. alioquin haberet Spiritus S. ad illa nonnullam formalis causalitatis habitudinem; quin potius essentia, prout essentialis amor est, prius congruit ratio doni quam Spiritui S. eo quod semper communia priora sint proprijs. Igitur ea forma loquendi, duo mihi videtur intendere S. D. Primum est: Spiritum S. creatis & à Deo nobis collatis donis comparatum esse per se primo donum, & rationem omnis gratuitæ collationis: non ex parte Dei sed ex parte nostri, quatenus vi suæ processionalis emanat ut amor. Secundum est: Spiritum S. ratione amoris essentialis inclusi esse rationem omnis gratuitæ collationis, tam rei creatæ quam increatæ; quod est dicere: Spiritum S. ex vi suæ processionalis amorem essentialem includere, cui conuenit esse primum donum & rationem omnis doni, tam ex parte donantis quæ ex parte eius cui fit donatio, ut etiam explicat S. Thom. in allegata quæst. art. 3. Quamuis enim Pater & Filius identice claudant amorem, non tamen formaliter neque ex vi suæ processionalis, cum Pater nec ut amor vel impulsus concipiatur à nobis, nec procedat ab aliquo; Filius autem e-

A manet ut verbum à dicente per actum intellectus: Et per hæc soluitur dubitatio Zumel. addita eius disputationi: ubi malè concedit Spiritum S. esse peculiarem rationem ipsi Deo operandi donum in rebus.

Aduerte præterea difficultatem tactam in argumento 3. an Spiritus sanctus possit dici donum nostrum, ex professo tractari ab Angelico nostro Doctore in dicta quæst. art. 5. Vide etiam quæ scribit Zumel. ex August. lib. 5. de Trin. cap. 14.

B Lege tandem, si placet ea, quæ in dicta disputatione notat idem expositor ex Aug. ad probandum Spiritum S. esse donum.

CONTROVERSIA VNICA.

An ratio doni proprie soli conueniat Spiritui sancto: & an eidem tribuatur ratione essentie, vel personalis proprietatis?

ZUMEL. super preced. respondens ad primam huius controuersie partem, dixit essentiam diuinam, Patrem & Filium posse dici donum largè & improprie sumptum: Spiritum S. verò proprie. Quod etiam pluribus argumentis nititur confirmare in disputatione ad præsentem articulum. Ad secundam autem respondet cum Caietano esse donum, id est habere relationem donabilitatis, siue esse aptum natum donari creaturis; quod principaliter significatur nomine doni conuenire Spiritui S. ratione amoris essentialis inclusi in ipsa persona Spiritus S.

Val. dicit quatuor. Primum. Nomen doni ex vi suæ significationis potest etiam competere personæ filij, cui conueniunt tres conditiones ad significationem dicti nominis pertinentes. Secundum. Nomen doni proprium est Spiritui sancto propter vsum & accommodationem Doctorum. Tertium est. Nomen doni principalius significat relationem ad donantem: secundariò verò respectum ad creaturas. Quartum est. Relatio ad creaturas competit Spiritui sancto ratione suæ quoque proprietatis personalis formaliter.

Vasq. 153. cap. 2. ad priorem partem respondet rationem doni, quod sua natura donum est, esse proprietatem Spiritus sancti & nulli alteri conuenire personæ: & hæc ait esse sententiam D. Thomæ in hoc a. & Sancti Bonau. in 1. dist. 18. q. 4. Ad posteriorem verò controuersie partem, quam examinat disputatione sequenti, videlicet 154. respondet opinionem S. Th. sibi probari, quæ affirmat tertiam personam suæ proprietate personali non solum esse spiritum, sed etiam donum; & eò esse donum, quo est spiritus; sicut filius eò est verbum, quo est filius. Quam sententiam expressius (inquit) tradit idem S. D. in 1. dist. 18. q. 1. a. 4. Eiusdē opinionis videtur fuisse Capr. in 1. dist. 18. q. vnica ad primum argum. secundum ordinem, ubi sic loquitur: Conceditur quod ille respectus rationis (quem scilicet importat nomen doni ad eos, quibus datur) non intrat constitutionem diuinæ personæ, sed assequitur illud, quo formaliter constituitur: quia illud constitutum non potest à nobis intelligi, nisi intellecto respectu rationis. Hæc ibi Capr. Si itaque relatio prædicta consequitur constitutum Spiritus S. nec sine ea potest intelligi ratio doni; sequitur Spiritum S. esse donum ratione suæ proprietatis personalis. Omitto sententias Dur. & alio-